



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XXVII. Declaratio circa jus conferendi habitum Tertii Ordinis S. Francisci
competens tantum Fratibus ejusdem Tertii Ordinis nationis Gallicanæ, &
Cappucinos ejusdem Nationis excludens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

Voluntatem autem, ut earumdem presentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Octobris 1672. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XXVII.

Declaratio circa jus conferendi habitum Tertii Ordinis S. Francisci competens tantum Fratribus ejusdem Tertii Ordinis nationis Gallicanae, & Cappucinis ejusdem Nationis excludens.

C L E M E N S P A P A X .

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanae, quod licet Congregatio Venerab. Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, in controversia inter ipsos exponentes ex una, ac dilectos pariter filios Fratres Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Cappucinatorum nuncupatorum in Regno Galliarum degentes ex altera partibus, circa jus conferendi habitum Tertii Ordinis Sancti Francisci utriusque sexus personis secularibus, easque dirigendi vertente, die 13. Martii proximè praeteriti, partibus pluries auditis decrevisset, ut Fratres Cappucini praefati ab hujusmodi habitus collatione, & directione penitus abstinere, nihilominus dilecto etiam filio Procuratore Generali dicti Ordinis Fratrum Cappucinatorum conquirente, se in iuribus suis sufficienter audium non fuisse, eadem Cardinalium Congregatio die 20. ejusdem mensis mandavit ab expeditione sui decreti hujusmodi superfederi, utque dictus Procurator Generalis quaedam provisionales in simili forma Brevis Litteras, quas à recol. mem. Clemente Papa IX. Praedecessore Nostro ad praefati Ordinis Fratrum Minorum Cappucinatorum favorem emanasse asserbat, partibus communicaret.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, praefatus Procurator Generalis id non praestiterit, nihilque habeat quod pluries, & in diversis contradictoriis tam coram praefata, quam coram altera nempe Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum Congregationibus non fuerit aliàs à dd. Fratribus Cappucinis productum; & propterea dicti Exponentes, ut hujusmodi controversiae jam toties, & tam solemniter decisa, & novissimè coram primodicta Cardinalium Congregatione ter exposita, finis tandem imponatur, ac alia quinque Decreta à praefatis duabus Cardinalium Congregat. respectivè contra praefatos Fratres Cappucinos emanata, nec non desuper expedita pariter in forma Brevis Litterae Apostolicae observentur, opportunè sibi in praemissis à Nobis provideri, & ut infra indulgeri summo perè desiderant.

Decretum.

§. 2. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus

quomodolibet innodatae existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Praepositorum, qui partibus auditis in Decreto aliàs, videlicet dicta die 13. Maji proximè praeteriti edito persistendum esse censuerunt, consilio, praefatis Fratribus Minoribus Cappucinis nuncupatis, ne in posterum in admittendis mulieribus ad habitum Tertii Ordinis S. Francisci, sive in ipsis dirigendis se ingerant auctoritate Apostolica tenore presentium interdiximus, ac praedictis Fratribus Cappucinis perpetuum super praemissis silentium imponimus.

§. 3. Decernentes easdem praesentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indulgentiis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus, & singulis illorum tenorem presentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris ad presentium effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1672. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Confirmatio Decreti Clementis IX. super unionis dissolutione Congregationum Eremitarum Camaldulensium, Montis Coronae, & aliarum nationum cum comminatione poenae, & censurarum.

XXVIII.

C L E M E N S P A P A X .

Ad perpetuam rei memoriam.

AD pastoralis dignitatis fastigium nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabiles divinae bonitatis divitiae evecti, ea quae à Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostri stabilenda inter religiosos viros à seculi turbis segregatos, & Altissimi obsequiis sub laudabili strictioris observantiae instituto adductos tranquillitatis studio, sapienter disposita esse noscuntur, ut firmiora sint, & serventur exactius Apostolici praesidii nostri patrocinio libenter corroboramus, illisque ne temerario cuiusquam ausu violentur, novas sanctiones adjungimus, sicut volentes in Domino rationi esse consentaneum.

§. 1. Alias siquidem cum inter Eremitas Camaldulenses Nationis Etruriae sub nomine Congregationis Eremi Sacrae ex una, ac Nationum